

ficalibus Archiepiscopo (Pisano), ipsius Crux defertur sine luminaribus a Crucifero absque Tunicella, et habitu Choralis tantum induto: Crux vero, quae ante Clerum procedit, defertur ab Acolytha juxta morem Ecclesiae, Pluviali induto inter duos Ceroferarios candelabra accensa portantes similiter paratos. S. C. resp.:

„Servandum esse dispositionem Caeremonialis lib. 2 cap. 6 §. 24 et 27 eo modo ut Subdiaconus deferens Archiepiscopalem Crucem sit paratus; atque Acolytus deferens Crucem Capituli sit Cotta indutus, medius tamen inter duos Ceroferarios cum luminaribus.“ n. 4672 ad 16 die 12. Nov. 1831.

2) Cleri.

a) Cotta indutus.

Cf.: *Processio SSmi. Regul.* (modus); *Cruciferarius archiep.*

Crucem Cleri saecularis omnino deferendam esse a Clerico cotta induto et contrariam consuetudinem esse abusum. n. 2067 die 12. Junii 1660. Vd.: *Cotta.*

6) Paratus in processione.

Crux processionalis in processione in Dominica infra octav. SS. Corp. Chr. Nuceriae potest deferri ante Clerum (paratum) per Subdiaconum paratum cum tunicella. n. 4113 ad 2 die 20. Maji 1741.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XX. n. 1. 16.

3) In process. dom. Palmar., die Ann. fid. def., die festo Purif. B. V. M.; Coena Dom. et Parasceve.

Vd.: *Planeta plicata* (pro Dalmatica etc. decr. n. 4620.); *Subdiaconus Episcopi.*

Asservari potest consuetudo (Cathedr. Conimbricen.) ut in *procesioni-*

bus Palmarum et Candel. (functionem non peragente Episcopo) Crucem portet Capellanus per turnum paratus. n. 4233 ad 10 die 14. Apr. 1753.

Ad dubium: Quomodo sit interpretandum Caerem. Ep. quoad crucis delationem in processionibus ac potissimum die omnium fid. def., Purificat. et dominica Palmarum, assistente nimirum Episcopo? S. C. resp: Caeremoniale Epis. interpretatione non indiget et sub respectivis capitibus aperte declarat, a quo et qua s. veste induto deferenda sit crux, nimirum: in die Purificat., Dom. Palm., Fer. V. in Coena Dom., Fer. VI. in Parasc., a Subdiacono diverso a Ministrante, amicto Tunicella aut planeta plicata, prout exigit s. actionis qualitas; die vero Commemorat. Omn. Fid. def. a Subdiacono missae. n. 4620 ad 1 die 6. Maji 1826.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Non inficior aliqua (sed sane pauca) in Episcoporum Caeremoniali occurrere, quae forte non satis clara videri possunt; talia tamen non sunt, dummodo non superficiali intuitu, vel sola, separatim a contextu, spectetur expressio, vel ratio haberi velit omissionis alicujus dictionis non necessario exprimendae, ut sibi fingunt, qui novitates amant, easque inducere student; sed attenda sunt, simulque conferenda adjuncta, et circumstantiae sacrae functionis, ut qui fuerit extensoris sensus, et quid in casu faciendum sit, intelligatur. In hoc tamen immorari non est opus, quum in proposito casu, de quo est quaestio, nihil implexum sit, nil obscurum, nil non satis declaratum, ut propterea interpretatio sit postulanda. Lege *cap. 16. lib. 2. Caeremonialis* de Processione Candelarum in die Purificationis B. M. V., praesente Episcopo. Ibi *num. 15.* prae-

cipitur. Processionem esse inchoandam, praeunte thuriferario, quem sequuntur *duo Acolythi . . . et inter eos Subdiaconus paratus Planeta ante pectus plicata super Albam sine manipulo, portans Crucem.* Igitur non a Clerico Cotta induto Crux est deferenda, sed ex Caeremonialis lege a *Subdiacono Planeta ante pectus plicata.* Quod vero is diversus esse debeat a Subdiacono Missae ministrante, clarissime patet, quia, dum fit Processio, *Canonicus, aut alius Missam celebraturus cum Diacono et Subdiacono capiunt paramenta convenientia.* Ibi §. 16. Nec diversus est ordo servandus in Dominica Palmarum, etenim, ut in cap. 21. §. 8 habetur, *ordinatur per Caeremoniarium Processio per Ecclesiam eodem ordine, quo ibi (scilicet in die Purificationis) dictum fuit . . . interim Canonicus Missam celebraturus cum Diacono et Subdiacono debent esse parati.* Quod vero attinet ad *Feriam V. in Coena Domini,* jubet Caeremoniale cap. 23. num. 10. *interim alter Subdiaconus accipit Crucem velatam velo violaceo.* Et agens *cap. 25. de Feria VI. in Parasceve: interim ordinatur Processio . . . praecedat Subdiaconus paratus cum Cruce denudata inter duos Ceroferarios.* Qui Subdiaconus alius sit oportet a Subdiacono Missae, qui ministrare necessario debet Celebranti in reliquo Officio et Missa, quae dicitur *Praesantificatorum.* Ubinam igitur obscurum occurrit quod interpretatione indigeat? imo potius clara sunt omnia et ad cujuscumque intelligentiam expressa.

Aliqua forte posset exoriri dubietas de Crucifero adhibendo apud Castrum doloris, dum assistens Episcopus vel e throno vel e faldistorio in die omnium Fidelium defunctorum, et in Anniversariis absolutionem facit. Siquidem Caeremoniale *lib. 2 cap. 12 n.*

6. apertis non id declarat verbis: at si te non pigeat implicitum scrutari sensum, fatearis oportet, satis hoc esse declaratum. En Caeremonialis verba: *Si Episcopus voluerit ipse absolvere, deposita cappa apud sedem, capiet amictum supra Rochettum, sive supra cottam, si sit Regularis, crucem peccatoralem et Stolum, et demum pluviale nigrum, et mitram simplicem, et omnia fient, quae superius in praecedenti capite dicta sunt.* Atqui ibi legitur: *praecedunt duo Acolythi . . . in quorum medio erit Subdiaconus, qui in Missa cantavit Epistolam, deferens Crucem etc. cap. 11 num. 14.* Idipsum igitur faciendum est si Episcopus dumtaxat assistat, et Missa ab alio celebrata fuerit. Atque haec est omnium Ecclesiarum Cathedralium praxis, quae arbitrarie invertenda non est, imo constanter servanda, cum nulla ratio occurrat, qua vel Subdiaconus diversus a Ministrante, vel non Tunicella nigri coloris, sed simplici indutus Cotta, Crucem deferat.

CRUX.

1) In Absolutione ad feretrum.

Vd.: *Absolutio. Cruciferarius in processione Dom. Palmar.* (decr. n. 4620).

2) Altaris.

Cf.: *Benedictio Crucis.*

Parva Crux cum imagine Crucifixi, posita super tabernaculum ligneum, in quo inclusum asservatur SS. mun. in altari, non est sufficiens ad implementum rubricae volentis, quod in altari, dum celebratur missa, debeat apponi crux in medio candelaborum, sed poni debet alia crux. n. 2231 ad 1 die 16. Junii 1663.

In altari, in quo est magna statua SS. Crucifixi, illa est sufficiens et non indiget alia cruce. *Ibid.* ad 2. Res

divina fieri non potest in altari, in quo exigua solum crux minori tabulae defixa fidelibus exhibetur, sed Crucifixus inter candelabra ita prominere debet ut Sacerdos celebrans et populus Sacrificio assistens eundem Crucifixum facile et commode intueri possint. *Bened. XIV. in Const.: Accepimus.* 16. Julii 1746.

Ad dubium: An, et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem vel supra Tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit?

Et Emi. P. S. eidem C. Praepositi . . . respondendum censuerunt ut infra, videlicet.:

„Reprobandum abusus, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris et facti remediis; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia, tempore Sacrificii, apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti quam Populo“.

Atque ita responderunt, et statuerunt. n. 4590 ad 8; die 17. Sept. 1822.

Facta autem de praemissis omnibus SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S.S. cuncta benigne approbavit, Decretumque desuper expediri, et publici juris fieri mandavit, Locorum Ordinariis strictae praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense et Anno, quibus supra.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Si ratio prae oculis habeatur, propter quam Rubrica *tit. de Praeparatione Altaris* praecipit, ut *Crux collocetur inter candelabra*, facile intelligitur nobiliorem locum ab eadem occupari debere ac talem esse ejus magnitudinem,

ut subito in conspectum veniat cum Celebrantis tum Populi; si vero finis ab Ecclesia intentus consideretur, qui est, ut *ab aspectu Crucis Sacerdoti celebranti Passio Christi in memoriam revocetur, cujus Passionis viva imago et realis repraesentatio hoc Sacrificium est*, veluti habet *Card. Bona rer. liturg. l. 1. cap. 25. num. 8.*; consequitur, vix, ac ne vix quidem hujusmodi finem parvis illis Crucibus obtineri posse, quae, neglecta positiva lege Rubricae, superimponuntur vel Tabernaculo, vel parvis tabulis alicubi, non ita infrequenter in medio Altarium collocatis. Jam S. R. C. declaraverat *in Rosanen. 16. Jun. 1663.*, *parvam Crucem sufficientem non esse, sed poni debere aliam Crucem in medio candelabrorum*, nihilominus temporis successu, ut coeperunt multiplicatae minores tabulae in singulis fere Altaribus collocari, ita crevit abusus, ut fel. rec. Benedictus XIV. illum reprehenderit *in aliquibus Ecclesiis hujus nostrae Romanae Urbis, et aliis pariter, quae Episcopis Suburbicariis subjiuntur*. Quamobrem nedum hujusmodi abusus reprobavit, verum etiam Encyclicam dedit *sub die 16. Jun. 1746.* ad Archiepiscopos, aliosque Ordinarios Ditionis Ecclesiasticae: *De retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam et visibiliter exposita super Altaribus. Illud, inquit, permittere nullatenus possumus, quod Missae Sacrificium in his Altaribus celebretur, quae careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius Sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat: id enim alienum est a legibus, ut institutis Ecclesiae, quae in Rubricis aliisque Ecclesiasticis Sanctionibus continentur . . . ita ut certissimum sit violari leges Ecclesiae, si exigua solum Imago Crucifixi prae-*

figatur minori tabulae, vel Statuae Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur: et post plura eruditissime disputata concludit: Si juxta Rubricas Missalis Crux inter candelabra statuenda est . . . si juxta sensum S. R. C. non satis esse judicatur exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus . . . nemo est, qui non videat praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque Marte a privatis personis usurpatam . . . esse omnino improbatam; eoque magis, quia ex exiguo Crucifixo, qui praefigitur tabulae ejus Sancti, qui Altari superadditur, ea profecto utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum Crucem inter candelabra collocandam decernit: Hanc Encyclicam interesset plurimum, ut Episcopi alique locorum Ordinarii sedulo perlustrarent, et tempore Sacrae Visitationis ubique ad praescriptum Rubricae Crucis collocationem exigerent et inobedientes poenis plecterent a jure indictis.

3) Altaris, in quo asservatur SSimum.

Vd.: *Instructio Clem. §. XXX. n. 2.*

4) Altaris cor. exp. SSmo.

a) Incensatio.

Dum incensatur altare, in quo est expositum publicae venerationi Venerabile, post illud incensatum Crux non debet incensari. n. 4080 ad 5 die 29. Novb. 1738. *Instructio Clem. §. XXX. n. 6 12. Parasceve* (incens. crucis).

b) Positio.

Ad dubium: An super altare, in quo SSimum. expositum est, crux de more collocari debeat? S. C. resp.: nunquam omittendam crucis cum imagine Crucifixi appositae collocationem. n. 3773 ad 1 die 14. Maji 1707.

Etsi decr. de anno 1707 praecipiat, quod in altari, ubi est publice expositum SSimum, tempore Sacrificii Crux de more collocetur: non est tamen in viridi observantia et Patriarchales Ecclesiae Urbis Oppositum servant; supervacaneam enim adjudicant Imaginis exhibitionem, ubi Prototypus adoratur. Et hac de causa Instructio Clem. sub silentio praeterit: an locanda removendave sit hujusmodi crux, *linguens quemlibet in sua praxi.* n. 4119 ad 5 die 2. Sept. 1741.

Instructio Clem. §. XXX. n. 2 etc. §. VI. n. 12.

5) Archiepiscopi.

5) Ad benedictionem.

Cf.: *Crux Metropol.; Cruciferarius.*

Ad dubium: An in missa pontif. non cantata, cum Ministris tamen non paratis, in qua conferuntur Ordines, debeat Archiepiscopus pro tempore in fine benedicere populum cum cruce ante se? An ex eo quod sine cruce benedicat, accipere debeat mitram ad benedicendum? S. C. resp.: Citra approbationem missae cum ministris et non cantatae, cum in *Ordinationibus general.* debeat Episcopus benedicere solemniter habens ante se Crucem: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 3774 ad 2 die 27. Aug. 1707.

b) Non alius ea uti debet.

Abusus omnino tollendus, ut Prior . . . et ejus Vicarius crucem ante se deferri faciat, quae Archiepiscoporum et Legatorum specialis praerogativa est; et ideo Prior et Vicarius a praemissis in futurum absteineant. n. 300 die 4. Mart. 1606.

c) Quando et quomodo deferenda?

Vd.: *Episcopus* (accessus, ordo incedendi, decr. n. 4597).

Archiepiscopus incedens vel equitans per Civitatem et Dioecesim suam crucem ante se praeferrere debet, etiamsi Nuntius in iisdem locis commoretur. Quodsi contingat, Archiepiscopum simul cum Nuntio iter habere vel eundem Archiepisc. ad invisendum Nuntium accedere, tunc quidem ob reverentiam Sedis Apostol., quam in ipso Nuntio agnoscere et venerari debet, Archiepiscopus abstinere debet, Archiepiscopus abstinere debet a delatione crucis. n. 44 ad 1 die 16. Febr. 1593.

In primo ingressu Archiepiscopi ad suam Provinciam crucem esse deferendam ab aliquo Capellano, immediate ante Personam Archiepiscopi, inter quem et Archiepiscopum nullus omnino esse debet, nisi soli Dignitates et Canonici Ecclesiae Metrop. n. 470 die 2. Mart. 1613.

Archiepiscopo Theatino crucem ante se per Monasterium S. Liberatoris (situm est Monasterium intra fines Dioecesis dicti Archiepiscopi, quamquam sit nullius Dioecesis) et loca hujusmodi deferri facere licuisse et licere. n. 475 die 13. Julii 1613.

Ubique in sua Provincia potest Archiepiscopus crucem ante se deferri quando ei placebit, dummodo non sit in curru. n. 2381 ad 7 die 18. Sept. 1666.

Licere Archiepiscopo Neapol. ingredi Ecclesias Regularium cum Cruce n. 2757 die 23. Novb. 1675.

Quando Archiepiscopus s. vestibus indutus procedit e Secretario ad altare celebraturus, crux archiepisc. deferenda est ante Canonicos paratos. n. 3026 ad 7 die 24. Julii 1683.

Cruz archiep. in processione ss. Corp. Chr. deferri debet per Subdia-

cum paratum ante Beneficiatos paratos. n. 3026 ad 9 die 24. Julii 1683.

6) Ave etc.

(*Genuflexio.*)

Omnes debent genuflectere in recitando Officio in choro ad verba: *O crux ave!* n. 2345 ad 14 die 31. (Julii) 1665.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 11; *Off. de cruce.*

7) Benedictio.

Cruces altarium seu processionum non sunt benedicendae de praecepto, potest tamen simplex Sacerdos eas benedicere privatim et non solemner. S. R. C. 12. Julii 1704.

8) Capituli.

(*Quae?*)

Capitulum et Canonici Colleg. s. Mariae. Corignoni cum cruce tripartita seu patriarchali in processionibus et aliis actibus non valet intervenire. n. 3633 die 26. Aug. 1702.

9) Cleri saecul. inferioris.

a) Quae?

Altaristae in associatione funerum sine interventu Capituli Cathedralis Recineti non possunt uti cruce argentea, quae de praesenti adest in Ecclesia, sed debent uti alia cruce inferiori dumtaxat. n. 3740 ad 3 die 20. Mart. 1706.

b) Quando deferenda?

Vd.: *Processio; Sepultura; Canonici Colleg.; Processio funebris.; Processio* (Regul.; crux); *Stola paroch.* (decr. n. 4615); *Capuccini.*

Unumquodque Capitulum et Ecclesiam incedere debere sub propria

cruce. n. 1524 ad 2 die 11. Febr. 1645.

Ad dubium: An servanda sit consuetudo immemorabilis deferendi in functionibus tam crucem Capituli, quando intervenit, quam parochorum ejusdem Cathedralis Cusentinae, S. C. resp.: Servandam esse consuetudinem immemorab. n. 2314 die 21. Mart. 1665.

Capellanos Collegatae Matricis Itri in omnibus processionibus posse deferre propriam crucem (separatam a Cruce Capituli). n. 2516 ad 5 die 13. Sept. 1670.

Praepositis et rectoribus Lauden. licet deferre in processione SS. Corp. Chr. et in aliis sol. crucem, non obstantibus praetensa contraria consuetudine et Concilio Provinciali IV. et aliis a Canonicis Cathedr. Lauden allegatis. n. 2779 die 21. Mart. 1676.

Ad dubium: An in processionibus sub quam cruce incedi debeat Prior Colleg. an sub cruce tantum Ecclesiae Collegatae (Castignani) an sub cruce Ecclesiae paroch. s. Petri? S. C. resp.: Sub utraque cruce. n. 4042 ad 5 die 21. Apr. 1736.

c) Quo modo deferenda?

Fratribus Dominicis non licet, dum crucem in processionibus deferunt, id agere Crucifixi imagine ad sese versa. n. 2732 ad 1 die 18. Maji 1675.

10) Deferenda per aliam parochiam.

Cf.: *Processio funebr.* (Cruz in transitu); *Processio* (Cruz Cathedr. etc.).

Licet Parocho Sutrinae occasione processionum discedere a sua parochia, accedere et transire per parochiam Cathedralis cum cruce erecta et simili modo redire ad suam parochiam. n. 3650 ad 5 die 28. Apr. 1703.

Ad dubium: An parochus s. Pauli in tribus processionibus quolibet anno ab ipso fieri solitis, quae transire solent per limites Ecclesiae parochialis matricis (Portus Salvi) (Castidii) licitum sit deferre crucem nudam sive potius cum velo aut pallio appenso in signum ejus subjectionis Ecclesiae matrici?

S. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam n. 4013 ad 4 die 21. Mart. 1733.

11) Super Ecclesia collocanda.

Vd.: *Titularis et Patronus* (Differentia inter haec nomina.)

12) Facienda cum s. hostia.

Vd.: *Patena; Parasceve.*

13) Hastata.

Vd.: *Cruz Societat.* (saecul. — quae? —)

In novissima rerum omnium perturbatione, a prisca et recta S. R. observantia recesserunt Laicorum Sodalitates Civitatis Capuanae, dum in publicis Supplicationibus funeribusque ducendis Sodalitii Vexillum nullo obductum velo, vel etiam hastatam Crucem gestabant. Ne consuetudo istiusmodi inavesceret die 14. mense Majo anno 1831. Emus. et Rmus. D. Card. Archiepisc. Capuanus uniuscujusque Sodalitii Moderatores Literis commonere fecit, ut juxta sancitas Leges Vexillum velo obducerent, quod ultra factum est praeterquam a Sodalitate Charitatis, quae insuper autumans vel ex privilegio vel ex consuetudine jus sibi quaesitum fuisse deferendi hastatam Crucem, neque definitum terminum die 16. mense Julio anno 1838 neque Decretum die 17. mense Nov. insequente ad praxim deduxit, immo appellationem intermit-

lens ad hanc S. R. C. recursum instituit. Quum vero statuto die coram R. P. D. Secretario subscripto Procuratores partium multum dissiderent super ista Dubiorum concordatione, eadem S. C. die 3. mense Aug. superiori Anno sequens Dubium, super quo disputandum hinc inde foret, proposuit, nimirum: An et quomodo sit servandum et exequendum Monitorium Emi. Card. Archiep. in casu? Per Defensores itaque tum Archiepiscopalis Curiae Capuanae ex una, tum Sodalitatis Charitatis partibus ex altera, productis juribus, iisque rite accurateque libratibus et examinatis Emi. et Rmi. P. S. ritibus praepositi in Ordinariis Comitibus ad Quirinales Aedes infrascripta die habitis, post omnimodam et absolutissimam relationem ab Emo. et Rmo. D. Card. Joanne Francisco Falzacappa Episcopo Portuensi ponente factam, rescribendum censuerunt: Affirmative in omnibus, seu Monitorium esse servandum et exequendum. Atque ita rescripserunt ac omnino servandum mandarunt; n. 4894 die 12. Sept. 1840.

14) In impositione Incensi.

Vd.: *Incensum*.

15) Incensatio.

Vd.: *Parasceve; Crux altaris coram expos. SSmo.*

16) Mater'ia.

Ad dubium: Crux, quae Feria Sexta in Parasceve est delegenda et adoranda, debetne esse lignea, an potest esse etiam de metallo, praesertim si in ea lignum verae Crucis includatur? S. C. resp.:

„Servetur Rubrica Missalis, velle laudabilis consuetudo“. n. 4669 ad 59 die 12. Novb. 1831.

17) Metropolitanani.

Metropolitano pro temporalibus negotiis accedenti ad Dioecesim Episcopi (Suffr.) licet attollere crucem, n. 2210 ad 1 die 17. Mart. 1663; n. 2611 die 3. Decb. 1672.

Archiepiscopus Amalphitanus tamquam Metropolitanus per Dioeceses Suffraganeorum pertransiens potest elevare crucem, n. 3720 die 9. Maji 1705.

Cf.: *Crux Archiep.*

18) Super Oblata.

Crucis, quae fiunt super Oblata a sacerdote, manu recta in transversa parte crucis fieri debent, n. 2241 ad 4 die 4. Aug. 1663.

19) Offerenda Episcopo.

Vd.: *Episcopus* (accessus primus); *Episcopus Visitator*.

Jus deferendi crucem ad deosculandam Episcopo Castelli in actu visitationis et in ingressu Ecclesiarum paroch. et Monialium spectare ad parochos et Confessarios et non ad Canonicos Convisitatores Cathedralis, n. 2809 die 16. Jan. 1677.

Episcopo dare deosculandam crucem in ingressu primae Ecclesiae spectare ad digniorem, n. 2948 die 19. Apr. 1681.

20) Officium.

Vd.: *Officium de s. cruce*.

21) In Ostensorio.

Vd.: *Rosarium de B. V. M.* (ritus, decr. n. 511').

22) Pectoralis.

a) Benedictio.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4640 nota.)

b) Dignit. et Canonicorum.

Vd.: *Annulus Canonicor. etc.* (decr. n. 4224.); *Pectorale Episcopi.* (decr. n. 4235); *Usus Pontif.* (decr. n. 4585 nota; n. 4593 ad 8; n. 863; n. 4640 etc.)

Collegiis Canonicorum vel Beneficiorum, quibus ab apost. sede concessum fuit privilegium gestandi Crucis vel Numismata s., licitum non est ea palam deferre in param. s. vel in administratione Sacramentorum, n. 4590 ad 15 die 17. Sept. 1822.

Ad dubium: An et quomodo a Canonicis tam Cathedralis quam Collegiatae (qui privilegium habent) deferenda sit crux pectoralis? S. C. resp.: Servata forma concessionis Episcopus mandet, Canonicos decoratos privilegio crucis deferendae super paramenta sacra, eo uti debere ad praescriptum Caeremonialis, nempe imposita cruce super albam et eandem tegere celebrante Episcopo, n. 4636 ad II. die 16. Sept. 1828.

c) Episcopi.

Vd.: *Usus Pontifical.* (decr. n. 4650 nota.)

d) SS. Pontificis.

Ibidem.

23) Reliquia.

a) Asservatio.

Vd.: *Reliquia* (veneratio, decr. n. 4956).

b) Expositio.

Vd.: *Reliquia* (expositio).

Clerici Reg. Scholarum Piarum Florentiae degentes assolent Feria VI. in Parasceve ad populi venerationem exponere Reliquiam SSmae. Crucis immediate post adorationem Crucis ipsius, et ante Missam Praesanctificationum; quaeritur: num sit retinenda con-

suetudo, seu post eandem Missam et consummationem SSmi. Sacramenti exponenda sit?

Et S. ipsa C. . . . respondendum censuit:

„Posse, dummodo Reliquia inclusa sit Crucis talis mensurae, ut poni queat inter Candelabra Arae majoris“.

Atque ita rescripsit, servandumque mandavit, n. 5009 ad 4.

Die 14. Junii 1845.

Ad dubium: An liceat Feria VI. in Parasceve in loco, ubi asservatur SSmm. Eucharistiae Sacramentum pro hac Feria, statim post Caeremonias ipsius Feriae exponere publicae venerationi Reliquiam SSmae. Crucis, et ibi manere usque ad crastinum ad horam solemnem Functionis expositam? Emi. itaque ac Rmi. P. . . . rescribendum censuerunt:

„Negative“.

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt, n. 4777 ad 5 die 12. Martii 1836.

c) Genuflexio.

Ad dubium: An Capitulo et Clero processionaliter transeuntibus ante altare, in quo recondita est s. Crux genuflectendum sit illi, et a quibus? S. C. resp.: Negative n. 4051 ad 3 die 15. Sept. 1736.

Vd.: *Reliquia* — genuflexio —; *Missae cor. exp. s. cruce*; *Genufl. ante crucem*.

Ad dubium: Coram Sanctissimo Sacramento palam exposito omnes in Choro stant nudo capite, nec transeunt ante medium Altare, quin genua flectant: an idem observari debeat coram Ligno Sanctae Crucis palam exposito? S. C. resp.:

„Negative ad utrumque, sed tantum unico genu in transitu“.

Die 23. Maji 1835. n. 4743 ad 2.

d) Incensatio.

Vd.: *Reliquia* (incensatio); *Reliquia* (veneratio etc. decr. n. 4956 et 4634); *Baldachinum in reliquiis etc. processionibus*.

Ad dubium: An, quando incensatur reliquia s. crucis, incensanda sit a Celebrante genuflexo vel stante, ut tenet Tonellius sacr. rit. lib. 3 c. 3. n. 22. et Bauldry de thurificat. art. 2. n. 5 docentes cultum incensandi genibus flexis soli Augustino. SSmo. competere? S. C. resp.: Negative n. 4051 ad 2 die 15. Sept. 1736.

Fere in omnibus Ecclesiis apponi solet fer. VI. in Parasceve reliquia s. Crucis; dubitatur: an dicta feria incensari debeat a Sacerdote genuflexo? S. C. resp.: Negative n. 4815 ad XIV. 1 die 22. Sept. 1837.

e) Osculum.

Ad dubium: An fer. VI. Parasceve admittendi sint fideles ad osculum reliquiae s. crucis? S. C. resp.: Servetur consuetudo. n. 4815 ad XIV. 4. die 22. Sept. 1837. Vd.: *Reliquiae* (veneratio).

Sacerdos potest in missa priv. Sanctorum Reliquias de osculandas praebere s. indutus paramentis. S. R. C. 16. Mart. 1833.

f) Reliquia s. crucis.

Vd.: *Processio in festo SS. Corp. Chr.* (quae res. etc.); *De benedictione cum particula s. Crucis*.

Vd.: *Benedictio cum reliquiis etc.*; *Reliquia* (deferent. habit.); *Reliquia* (veneratio etc.); decr. n. 4956); *Tabernacul.* (ornatus).

24) Super rebus benedicendis.

Ad dubium: Quando in Indulto existit clausula: „In forma Ecclesiae consueta“, sufficitne signum crucis efformare super res benedicendas absque pronuntiatione verborum formulae be-

nedictionis et sine aspersione aquae benedictae? S. C. J. resp.: Affirmative 8. Jan. 1843.

25) Societatis saecularis.

a) Quae.

Confratribus Societatis saecul. b. Mariae Pedemantis in processionibus et associatione cadaverum non licet deferre Crucem inalberatam sine velo. n. 3758 ad 3 die 22. Jan. 1706. Vd. *Crux hastata*.

b) Quo loco deferenda?

Cf.: *Processio* (crux); *Processio funebr.* (crux).

Ad dubium: An crux debeat ante confratres Societatis saecul. B. Mariae Pedemantis vel post illos ante Clerum deferri debeat? S. C. resp.: Ante ipsos Confratres. n. 3758 ad 4 die 22. Jan. 1707.

26) In Summitate Monstrantiae.

Vd.: *Ostensorium*.

In Summitate Ostensorii Crux visibilis apponatur. S. R. C. 11. Sept. 1847.

27) Velaminis color.

Quaesitum fuit, quo velo cooperiendi sit crux in altari ad functionem lotionis pedum in fer. V. maj. hebdom. et crux processionis, cum Sacerdos indutus sit violaceo et Diaconus colore albo, et actus ipse lotionis sive mandatum praecipiat a rubricis fieri cum floribus et signis laetitiae et videatur participare de festivitate missae celebratae in mane cum cruce velata albo colore et ex alia parte sit actus humilitatis? S. R. C. resp.: Colorem non esse mutandum. die 16. Novb. 1649.

Fer. V. in Coena Dom. albi coloris debet esse velum crucis altaris, in quo missa celebratur; violacei vero crucis processionis et altaris lotionis. n. 4414 ad 4 die 20. Decb. 1783.

Ad dubium: An in missa sol., quae cantatur fer. V. in Coena Dom., Crux altaris debeat esse cooperta velo albo seu violaceo? S. C. resp.: Servetur consuetudo Ecclesiae. n. 4322 ad 2 die 11. Febr. 1764.

28) Velatio in Sabbato Passionis.

Vd.: *Imago* (velatio).

29) Veneratio.

Vd.: *Reliquiae* (exposit).

Rme. Domine: Cum orta sit dubitatio inter Ecclesiasticos viros Regalis Capellae Titulo SSmae. Crucis Oppidi Caravacae in ista tua jurisdictione S. Jacobi de Spathae Nullius Dioecesis Compostellanae existentes circa externas significationes venerationis, et publicos actus cultus, qui exhiberi consueverunt erga eam Crucem, quae maxima religione in praedicta Capella asservatur; num scilicet retineri possit consuetudo, ejus inii memoria non extat, exhibendi eidem S. Cruci eosdem externos actus cultus, qui SSmo. Eucharistiae Sacramento exhibentur, praeter modum a Rubricis et Decretis S. R. C. praescriptum, vel ab iisdem sit abstinendum, ejusque cultus ad Rubricarum et Decretorum normam sit exigendus? proindeque, ad amovendam omnem haesitationem, S. R. C. supplicaverit, ut, quid in hoc casu agendum foret, decerneret.

Emi. et Rmi. Domini Patres S. R. C. praepositi, exquisita sententia unius ex Apostolicarum caeremoniarum Ma-

gistris, ac re mature perpensa, referente Emo. et Rmo. Domino Card. Antonio ab Auria, censuerunt: „Tibi per hasce Literas significandum esse, quod si revera noscas consuetudinem esse immemorabilem, atque etiam praevideas, ex immutatione facienda, ut Rubricis Decretisque satisfiat, ne dum admirationem, sed scandalum in Populo oriri, aut languorem in Religione erga praedictam S. Crucem induci posse, nihil innovari permittas, et diu bene valeas“.

N. 4462. Romae 23. Augusti 1794.

CUBICULARIUS.

Fer. VI. Parasc. SSmo. D. N. fimbrias deferre ad Cubicularios intimos pertinet, cum eo die Summus Pontifex sit absque pluviali. n. 125 (sine die assig.).

S. CUNEGUNDIS V.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidl.: an 3. Martii, qua occurrunt s. Anselmus Abb. et s. Cunegundis v. imperatrix in Germania, s. Cunegundis sit celebranda translato s. Anselmo? S. C. resp.: Faciendum est Officium de s. Cunegunde et assignanda fixa et propria dies pro s. Anselmo. n. 4043 ad titul. X. dub. 2 die 5. Maji 1736.

CURRUS.

(*Pro asport. cadav. Def.*)

Vd.: *Defunctus* (depos. modus).

CUSTODIA SS. SACRAMENTI.

Vd.: *Instructio Clem. §. V. n. 7—14.*; *Ostensorium*.